

Exempla : Anno 1903, Feria VI post Cineres celebratur Festum particulare Sacrae Spineae Coronae D. N. J. C., nullam exigens in Hymnis conclusionis mutationem; Hymnus Vesperarum habet Doxologiam communem; sequitur Sabbato Officium votivum de Immaculata Conceptione B. Mariae V., cujus in Vesperis Ferae VI fit Commemoratio tantum: in Hymno Vesperarum Sacrae Spineae Coronae jam dici debet Doxologia *Jesu, tibi sit gloria, etc.*, praescripta pro Officio votivo de Immaculata Conceptione.

Anno 1903, 15 Octobris, Feria V, celebratur Festum duplex S. Teresiae Virginis; concurrunt cum sequenti Officio votivo de Passione D. N. J. C., ritus semiduplicis; hoc exigit mutationem Doxologiae (cfr. Q. 196, ad 11^{um}); Feria V, dicuntur Vesperae secundae integræ de Festo S. Teresiae, cum Commemoratione tantum sequentis Officii votivi; fit mutatio Doxologiae, et dicitur Doxologia: *Sit laus Patri etc.*, non tantum ad Hymnum Completorii, sed jam ad Hymnum Vesperarum S. Teresiae. — Hymnus iste est quidem proprius, sed ejus conclusio est communis, et proinde ipsa subjacet regulis mutationis.

5° In Concurrentia duorum Officiorum, quorum utrumque exigit diversam propriam Doxologiae mutationem, dicitur in Vesperis et Completorio Doxologia propria illius Officii quod habet Vesperas integras, aut saltem a Capitulo. (Decret. S. Rituum Congregationis, 3 Augusti 1901, *Tropien.*, ad 3; cfr. Ephemerides Liturgicae, XV, 1901, pag. 630.)

Exempla : Die 5 Augusti, celebratur Festum Dedicationis B. Mariae V. ad Nives, duplex majus, in quo Hymni concluduntur: *Jesu, tibi.... Qui natus es, etc.* (Q. 196, ad 1^{um}); die 6 Augusti, celebratur Festum Transfigurationis Domini, duplex majus, in quo Hymni concluduntur: *Jesu.... Qui te revelas, etc.* (Q. 196, ad 6^{um}). In hac Concurrentia dicuntur Vesperae integræ de sequenti Festo Transfigurationis, cum Commemoratione praecedentis; ideo jam in Vesperis diei 5 Augusti, et in Completorio dicitur Doxologia propria Festi Transfigurationis Domini.

Anno 1900, 25 Octobris, Feria V, dicitur Officium votivum de SS. Eucharistiae Sacramento; Hymni in eo concluduntur: *Jesu.... Qui natus es, etc.* Sequenti die, 26 Octobris, Feria VI, dicitur Officium votivum de Passione D. N. J. C., in quo Hymni concluduntur: *Sit laus Patri, etc.* (Q. 196, ad 11^{um}); Vesperae dicuntur integræ de SS. Sacramento, absque Commemoratione sequentis Officii de Passione Domini (cfr. Q. 193); Feria V igitur Hymnus Completorii adhuc habet Doxologiam: *Jesu.... Qui natus es.* In Vesperis datur Hymnus qui non est ejusdem metri.

Sequenti die, 27 Octobris, Sabbato, dicitur Officium votivum de Immaculata Conceptione B. Mariae V., ritus semiduplicis,

in quo Hymni concluduntur: *Jesu... Qui natus es, etc.*; Vesperae dividuntur (cfr. Q. 191), et dicuntur a Capitulo de Immaculata Conceptione; Hymnus Completorii (ad Vesperas dicitur Hymnus *Ave, maris stella*, alius metri), jam dicitur cum Doxologia B. Mariae V., relicta Doxologia propria Officii votivi de Passione. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Novembris 1898, n. 4003, Q. III.)

Q. 198. *Quid notandum est de prima Stropha Hymni « Iste Confessor Domini », qui saepius recitatur in Officiis SS. Confessorum Pontificum et non Pontificum?*

R. In prima Stropha hujus Hymni tertius et quartus versus sonant: *Hac die letus meruit beatas Scandere sedes.* Ita dicuntur isti duo versus, quando Festum alicujus Confessoris celebratur in ipsa die sui obitus seu in die sua natalitia (cfr. Q. III).

Quando vero Festum celebratur in alia die, sive per mutationem, sive per assignationem, sive per translationem (cfr. Sectio II, Caput I, QQ. 167-179), tunc isti versus mutantur, et dicitur: *Hac die letus meruit supremos Laudis honores.*

Ubi hujusmodi mutatio facienda occurrit, indicatur in Breviario litteris M. T. V., id est: mutatur tertius versus; in nostro Directorio Dioecetano indicatur apposito signo Crucis ✠.

NOTA. Die 17 Septembris celebratur in Ecclesia universali (in nostra Dioecesi vero 26 Septembris) Festum Impressionis Sacrorum Stigmatum, in corpore S. Francisci, Confessoris; in prima Stropha Hymni *Iste Confessor Domini* dicitur: *Hac die letus meruit beata Vulnera Christi.* In casu translationis vel etiam assignationis Officii hujus Festi ad aliam diem nihil est mutandum, et dicitur: *beata Vulnera Christi*, ut in propria die Festi. (Decret. S. Rituum Congregationis, 7 Augusti 1871, n. 3254, antiq. 5490, ad 5.)

Q. 199. *Quae regulae tradi possunt pro mutatione istorum versuum in prima Stropha hujus Hymni?*

R. 1° Si Festum alicujus Sancti celebratur in die sua natalitia, et consequenter absque mutatione versuum, celebrato hujusmodi Festo cum Octava, idem tenor retinetur absque mutatione per totam Octavam; Octava

enim est Festi continuatio. (Decret. S. Rituum Congregationis, 2 Septembris 1741, n. 2365, antiq. 4119, ad 3.)

Exemplum : Dies natalis S. Nicolai, Episcopi et Confessoris, est 6 Decembris, qua die celebratur ipsius Festum ; ubi Sanctus iste est Patronus loci, vel Titularis Ecclesiæ, celebratur ejus Festum ritu duplici 1 classis cum Octava ; in die Octava, 13 Decembris, dicitur Hymnus sine mutatione versuum.

Ubi S. Bavo, Confessor, 1 Octobris, est Patronus loci, vel Titularis Ecclesiæ, et diebus 3, 5 et 7 fit de die infra Octavam, et die 8 Octobris de die Octava, dicitur sine mutatione versuum.

2° Si Officium alicujus Sancti impeditum in Sancti die natalitia ab hac die transfertur, aut assignatur ad proximam sequentem diem post Festum, distinguendum est :

a) Quando in casu Vesperæ in ipsa die natali dicuntur aut integræ, aut saltem a Capitulo de sequenti Festo in proximam a natali diem reposito, tunc mutatio non est facienda, quia in his primis Vesperis, et consequenter in ipsa die natalitia dicitur Hymnus, et verificatur tenor versuum ; imo, quia in casu Hymnus inceptus fuit dici absque mutatione, etiam postridie in Matutino, et in secundis Vesperis, si integræ dicendæ sunt, dicitur absque mutatione ; quia Officium continuandum est eo modo quo fuit inceptum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Junii 1899, n. 4033.)

Exempla : Dies natalis S. Bavonis, Confessoris, cujus Festum duplex celebratur in Diocesi Mechliniensi, est 1 Octobris ; sed hac die jam celebratur Festum item duplex S. Remigii, Episcopi et Confessoris, et Festum S. Bavonis assignatur in perpetuum ad proximam sequentem diem, 2 Octobris : die 1 Octobris Vesperæ dicuntur de S. Remigio, a Capitulo vero de S. Bayone ; dicitur ergo Hymnus in die natali S. Bavonis, et nulla fit in Hymno mutatio, nequidem die 2 Octobris.

Dies natalis S. Gregorii, Papæ, Confessoris et Doctoris, est 12 Martii, qua celebratur in Ecclesia ejus Festum ; anno 1899, hac die occurrit Dominica IV in Quadragesima ; transferendum ergo est per accidens Officium S. Gregorii, et transfertur in primam diem liberam, Feriam II proximam sequentem, 13 Martii ; die Dominica Vesperæ integræ dicuntur de S. Gregorio, et quia Hymnus dicitur in ipsa die natali, non fit mutatio versuum hac die, neque die sequenti, in quam translatum fuit Officium.

b) Quando in casu secundæ Vesperæ dicuntur inte-

græ de concurrente Officio, cum Commemoratione tantum Officii a die natali ad proximam sequentem diem repositi, quia tunc Hymnus in ipsa die natalitia in Vesperis non fuit dictus, postridie in Matutino, et in secundis Vesperis, si integræ dicendæ sunt, facienda erit mutatio.

Hoc probatur ex Rubricis specialibus Breviarii, ex gr., ex Rubrica descripta in Festo S. Ludovici Regis, Confessoris, 25 Augusti : dies natalis hujus Sancti est 25 Augusti ; sed Romæ et in quibusdam locis, ubi Festum S. Bartholomæi, Apostoli, celebratur 25 Augusti, et non sicut in Ecclesia universali, 24 Augusti, Festum S. Ludovici celebratur 26 Augusti, in die quæ proxime sequitur diem natalitiam ; quia vero in secundis Vesperis S. Bartholomæi tantum Commemoratio fit sequentis Festi S. Ludovici, et consequenter Hymnus non dicitur in casu in ipsa die natalitia, 25 Augusti, notat Rubrica specialis quod die 26 Augusti in Hymno ad Matutinum Officii S. Ludovici mutatur tertius versus. — Dies natalitia S. Hyacinthi, Confessoris, est 15 Augusti, ut legitur in Lectione VI ejus Festi ; ejus Festum celebratur in Ecclesia universali die proxime sequenti, 16 Augusti ; ast quia in Vesperis secundis Festi Assumptionis B. Mariæ V. Commemoratio tantum fieri potest sequentis, et Hymnus hac die dici non potest, ideo notat Rubrica specialis ad ejus Festum quod in Hymno mutatur tertius versus.

Exempla : Resumitur exemplum supra ad a) de S. Bavone propositum. In locis ubi S. Remigius est Patronus, aut Titularis, celebratur ejus Festum ritu duplici 1 classis, et consequenter dicuntur, die 1 Octobris, Vesperæ secundæ integræ de S. Remigio, cum Commemoratione tantum sequentis Officii S. Bavonis ; igitur Hymnus non potuit dici in die natali S. Bavonis ; in his locis, die 2 Octobris, in Matutino, et in secundis Vesperis Officii S. Bavonis dicitur Hymnus cum mutatione versuum.

Festum S. Francisci Assisiatis, Confessoris, duplex majus, celebratur in die natalitia, 4 Octobris ; anno 1903, erat dies Dominica, Dominica I Octobris, in qua celebratur Solemnitas SS. Rosarii B. Mariæ V., duplex 2 classis ; Officium S. Francisci translatum fuit in diem sequentem, 5 Octobris ; Vesperæ die Dominica dictæ fuerunt integræ de SS. Rosario, cum Commemoratione tantum sequentis Officii translatis S. Francisci ; non potuit igitur hac die dici Hymnus ; igitur dicitur die sequenti cum mutatione versuum.

3° Si Officium alicujus Sancti, cujus Festum celebratur in die natali cum Octava, transferendum est et transferri potest infra suam Octavam, etiam ultra primam diem quæ sequitur Festum, mutatio versuum non fit in Hymno in die translationis Officii, et in diebus quæ remanent Octavæ. (Decret. S. Rituum Congregationis, 2 Septembris 1741, n. 2365, antiq. 4119, ad 2.) Rationem addit citatum Decretum « quia tota Octava nihil aliud est quam extensio ipsius Festi; et ideo versus idem per reliquos Octavæ dies, qui forte supereunt, retinebitur. »

Exemplum: Dies natalis S. Antonii de Padua est 13 Junii, in qua celebratur ejus Festum; supponitur quod sit Titularis alicujus Ecclesiæ; ibi celebratur ejus Festum ritu duplici 1 classis cum Octava. Anno 1895, occurrit die 13 Junii Festum SS. Corporis Christi; Officium S. Antonii, Titularis, debet in hac Ecclesia transferri; prima dies libera reperitur 15 Junii; ergo Officium S. Antonii transfertur, equidem ultra primam diem post Festum, sed tamen infra suam Octavam; itaque die 15 Junii in Hymno, inde a primis Vesperis, non fit mutatio versuum.

4° Si Officium alicujus Festi e die natalitia S. Confessoris reponendum est ultra primam diem, aut, si cum Octava celebratur, transferendum est ultra octiduum, semper fit mutatio versuum in Hymno. (Decret. S. Rituum Congregationis, 7 Septembris 1861, n. 3108, antiq. 5315, ad 1.)

Exempla: Resumitur exemplum S. Antonii supra ad 3^{um} propositum. Anno 1886, die 13 Junii occurrit Festum Pentecostes; prima dies libera pro translatione Officii S. Antonii, Titularis, reperitur tantum ultra finem ejus Octavæ, nempe 22 Junii; ergo in Hymno fit mutatio versuum.

Anno 1897, Officium S. Gregorii, de quo supra ad 2^{um} a), impeditum in die natali, 12 Martii, Officio SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C., translatum fuit in diem 15 Martii, ergo ultra primam diem a natali; debuit itaque fieri mutatio versuum in Hymno.

Q. 200. Quid notat Rubrica de Ordine Hymnorum qui in Festis quorundam Sanctorum dicuntur, et sunt proprii et historici?

R. Reperiuntur quidam Hymni proprii in Festis quorundam Sanctorum, qui historiam aliquo modo

Sancti qui colitur successive referunt, et dividuntur ita ut prima pars ponatur in Vesperis primis, secunda in Matutino, tertia in Laudibus; quæ partes unum totum efficiunt, quorum proinde non convenit ut aliqua omitatur, aut inverso ordine dicatur.

Hujusmodi Hymni reperiuntur in Festis, ex. gr., S. Martinæ, Virginis et Martyris, 30 Januarii; SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. Mariæ V., 11 Februarii; S. Hermenegildi, Martyris, 13 Aprilis; S. Venantii, Martyris, 18 Maji; Nativitatis S. Joannis Baptistæ, 24 Junii; S. Joannis Cantii, 20 Octobris; et aliorum (cfr. Q. 40).

De iis dicit Rubrica: « Quando in aliquo Festo ad sint tres Hymni proprii Historici, et Hymnus proprius in primis Vesperis dici nequeat, tunc hic Hymnus dicitur ad Matutinum, Hymnus Matutini ad Laudes, ac Hymnus Laudum ad secundas Vesperas. » Manet itaque in hujusmodi transpositione ordo historicus Hymnorum. — Addit Rubrica: « Si vero secundæ Vesperæ non sint de hoc Festo, tunc Hymnus Vesperarum jungitur cum Hymno Matutini sub unica conclusione. » (Rubricæ generales, Tit. XX, n. 3.) — Pro hac conjunctione Hymnorum sequentem normam servari mandavit S. Rituum Congregatio: Ad dubium: « Quænam sequendæ normæ in jungendis Hymnis Sanctorum propriis, si habeantur in Breviario, quando relativa Festa primis Vesperis carent? » S. Congregatio rescribendum censuit: « Hymnus Vesperarum jungendus est cum altero ad Matutinum, quoties eodem metro uterque gaudet, et secundus est continuatio primi; nisi aliter cautum sit in ipsa Rubrica speciali Breviarii Romani. » (Decret. 5 Februarii 1895, n. 3844, ad 3.)

Exempla conjunctionis Hymnorum quæ habentur in Breviario Romano indicant etiam Doxologiam, seu conclusionem prioris Hymni conjuncti et alteri præpositi esse omittendam, eamque conclusionem dici tantum in fine Hymnorum conjunctorum.

Hujus dispositionis exemplum reperitur in Breviario, ex. gr., in Festo S. Martinæ, Virginis et Martyris, 30 Januarii, ubi in Matutino Hymnus Vesperarum absque Doxologia conjunctus, seu præpositus fuit Hymno

Matutini, eo quod, ob Concurrentiam Festorum, in Vesperis nec primis nec secundis, Hymnus Vesperarum dici nequeat. (Cfr. Rubrica specialis hujus Festi.)

Exempla : In Officio duplici SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. Mariæ V., 11 Februarii, reperiuntur tres Hymni historici, primus ad Vesperas, secundus ad Matutinum, tertius ad Laudes. Quando hoc Festum celebratur die Sabbato in Quadragesima, et cum eo concurrat Officium de Passione D. N. J. C., ex. gr., Sacræ Spineæ Coronæ, duplex majus, dictum Feria VI præcedente, in Vesperis Feria VI fit tantum Commemoratio sequentis, et Hymnus proprius Vesperarum SS. Septem Fundatorum in Vesperis dici nequit; dicitur tunc Hymnus Vesperarum ad Matutinum, Hymnus Matutini ad Laudes, et Hymnus Laudum ad secundas Vesperas, quæ dicuntur integræ, quia concurrunt cum Officio semiduplici Dominicæ I in Quadragesima, cujus tantum fit Commemoratio. (Cfr. Directorium Diocesis Mechliniensis anni 1902.) Si vero Vesperæ secundæ Festi SS. Septem Fundatorum non potuissent dici integræ, ob Concurrentiam cum sequenti Officio ritus duplicis, tunc Hymnus Vesperarum fuisset conjunctus ad Matutinum Hymno Matutini, et huic præpositus, dempta Doxologia quæ semel tantum diceretur in fine.

Anno 1904 celebratur 13 Aprilis Festum semiduplex S. Hermenegildi, Martyris, qui habet Hymnos proprios historicos unum pro Vesperis et Laudibus, alterum pro Matutino; diebus 12 et 14 Aprilis celebrantur Festa duplicia; ergo Hymnus proprius Vesperarum non potest dici in Vesperis; tunc ponitur Hymnus Vesperarum ad Matutinum, et Hymnus Matutini dicitur in Laudibus. (Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Maji, 1736, n. 2319, antiq. 4044, ad Tit. XX; et Rubrica specialis hujus Festi.)

NOTA. I. Festa quæ celebrantur cum Octava, habent suos Hymnos proprios per totam Octavam, quando dicitur Officium de Octava (excipe Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli, 29 Junii). Fieri potest ob Concurrentiam aliorum Festorum infra Octavam, aut in die Octava, quod Hymnus proprius historicus Vesperarum nequeat dici; ex. gr., in Calendario Ecclesiæ universalis casus iste occurrit infra Octavam Nativitatis S. Joannis Baptistæ, et in die Octava. Declaravit S. Rituum Congregatio quod semel conjunctis Hymnis historicis in Festo, non amplius jungendus est Hymnus impeditus cæteris diebus Octavæ. Ad dubium: « Quarta die infra Octavam, et die Octava Nativitatis S. Joannis Baptistæ, debetne Vesperarum Hymnus,

qui jam in Festo dictus est, conjungi cum Hymno Matutini sub unica conclusione? » S. Congregatio rescribendum censuit: « Negative. » (Decret. 2 Julii 1901, *Lauretana*, ad 1; cfr. *Ephemerides Liturgicæ*, XV, 1901, pag. 459.)

NOTA. II. Datur unicum exemplum Officii in quo reperiuntur quatuor proprii Hymni, qui historici dici possunt, nempe in Solemnitate SS. Rosarii B. Mariæ V., Dominica I Octobris (cfr. Q. 40); quando Hymni Vesperarum non possunt dici, in casu jungerentur primus secundo in Matutino, et quartus tertio in Laudibus.

NOTA. III. An Hymni Officii Commemorationis Passionis D. N. J. C., de quo fit in aliquibus locis Feria III post Dominicam in Sexagesima, necnon Officii votivi de Passione D. N. J. C., quod dici potest Feriis VI liberis (hæc duo Officia sunt eadem præter Orationem), sunt historici? *Ephemerides Liturgicæ* (XVII, 1903, pag. 546) censent ipsos esse historicos, « quia tales Hymni sunt revera historico ordine exarati, cum integram Dominicæ Passionis seriem a Domini captura usque ad signa in morte Domini secuta evolvunt; ideoque juxta Rubricas generales Breviarii Romani (Tit. XX, n. 3), in casu impedimenti transferri possunt ac debent. » Animadvertendum est quod tres Hymni historici hujus Officii, primus *Mærentes* ad Vesperas, secundus *Aspice* ad Matutinum, et tertius *Sævo* ad Laudes, habent metrum in omnibus diversum, et ideo non possunt conjungi.

Posito quod in Officio votivo de Passione Hymnus ad Vesperas, tum primas tum secundas, ob Concurrentiam numquam potest dici, si die antecedente aut die sequente fiat de Festo duplici vel semiduplici, vel de alio Officio votivo, nempe de SS. Sacramento aut de Immaculata Conceptione, sequitur quod Hymnus Vesperarum in casu semper foret dicendus ad Matutinum; cumque hic Hymnus conjungi non possit Hymno Matutini qui diversi metri est, quid faciendum remanet de Hymnis Matutini et Laudum? Respondent *Ephemerides* (loco citato) in casu, retento Hymno proprio ad Laudes, omittendum esse Hymnum *Aspice* Matuti-

ni, « utpote minoris momenti et ad integritatem historiarum minus necessarium » (agitur tamen ibi de Christo Cruci affixo et in Cruce moriente). Hucusque, pro Officio votivo de Passione, transpositio Hymnorum a Calendaristis generatim non fuit proposita. Res momenti sat magni est ut exspectare liceat declarationem S. Rituum Congregationis, an isti Hymni sint de iis Hymnis historicis de quibus agit Rubrica, et quid sit faciendum. Norma supra proposita non sine molestia et incommodo est.

NOTA. IV. In Officio Festi Septem Dolorum B. Mariæ V., quod celebratur Feria VI post Dominicam Passionis, Sequentia Missæ *Stabat Mater*, in Officio tripartita pro Hymno, inchoatur ad Vesperas, continuatur ad Matutinum, terminatur ad Laudes; etiamsi stricte historicus non sit Hymnus, talis tamen est cuius initium nequit omitti.

Si ob aliquam causam Vesperæ primæ sunt omittendæ, non applicanda est in casu Rubrica generalis supra in responso citata, juxta quam deberent Hymni transferri, ita ut ad Matutinum dicatur Hymnus Vesperarum, ad Laudes Hymnus Matutini, et ad secundas Vesperas Hymnus Laudum; sed servanda est in casu Rubrica specialis Breviarii. (Decret. S. Rituum Congregationis, 6 Februarii 1892, n. 3764, ad 17.) Juxta hanc Rubricam specialem, descriptam ad Officium Festi, Hymnus *Stabat Mater* Vesperarum jungitur, seu præponitur ad Matutinum Hymno Matutini *Sancta Mater*; ad Laudes servatur Hymnus *Virgo virginum*, et si Vesperæ secundæ dicuntur integræ, resumitur Hymnus Vesperarum *Stabat Mater*. Animadvertendum est quod isti Hymni non habeant Doxologiam, seu conclusionem; ideo in conjunctione Hymni Vesperarum cum Hymno Matutini, Vesperarum Hymnus dicitur totus sicut est, omisso tantum verbo *Amen*.

NOTA. V. In Officio Sanctæ Familiæ, Jesu, Mariæ, Joseph, quod celebratur in aliquibus locis Dominica III post Epiphaniam, habentur tres Hymni proprii, nempe ad Vesperas, ad Matutinum et ad Laudes; in Hymno Matutini metrum est diversum. Si ob aliquam causam Vesperæ primæ sunt omittendæ, certo jam non

debet nec potest quidem Hymnus Vesperarum conjungi Hymno Matutini; sed et transpositio a Vesperis non facienda videtur: etenim censent Ephemerides Liturgicæ (XIV, 1900, pag. 434) Hymnos hujus Festi non esse historicos, nisi latiori quodam sensu, qui eorum conjunctionem non sinit.

§ 2. De Antiphonis et Versibus

Q. 201. *Accidit quandoque quod Antiphona alicujus Psalmi, vel Cantici sumitur ex eorum principio, vel incipit sicut Psalmus, vel Canticum; quid tunc observandum est?*

R. « Quando Antiphona sumitur ex principio Psalmi, vel Cantici, et incipit sicut Psalmus, vel Canticum, post Antiphonam non repetitur principium Psalmi, vel Cantici; sed continuatur quod sequitur in Psalmo, vel Cantico, ab eo loco, ubi secundum ritum diei desinit Antiphona, nisi discontinuetur per *Alleluja*. » (Rubricæ generales, Tit. XXI, n. 7.)

Igitur A) In Officio duplici, quando Antiphona eadem est quam primus Psalmi versus, et illi non additur in fine *Alleluja*, tunc incipitur Psalmus idem a secundo versu. (Rubrica specialis in Officio Dedicationis Ecclesiæ, ad 1 Antiphonam 3 Nocturni.)

Exempla: In Officio Festi SS. Nominis Jesu, Dominica II post Epiphaniam, prima Antiphona in primo Nocturno est: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra*; sequitur Psalmus VIII: *Domine Dominus noster, etc.*; non repetitur post Antiphonam hic primus Psalmi versus, sed Psalmus incipitur a secundo versu: *Quoniam elevata est etc.*

In Communi Dedicationis Ecclesiæ, primus Psalmus tertii Nocturni est XC: *Qui habitat in adjutorio etc.*; Antiphona vero hujus Psalmi omnino idem sonat quam primus Psalmi versus; in hoc casu, primus versus Psalmi non repetitur, sed principium hujus Psalmi est a secundo versu: *Dicet Domino etc.*

Si tamen hoc Officium diceretur Tempore Paschali, Antiphonæ huic addendum foret *Alleluja*; tunc in ritu duplici diceretur ante Psalmum integra Antiphona *Qui habitat cum Alleluja, et, quia discontinuatur, iterum diceretur versus Qui habitat etc.* pro principio Psalmi.

In Festo Ascensionis Domini, secunda Antiphona in secundo Nocturno sonat: *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, alleluja*; Psalmus XXIX incipitur: *Exaltabo te Domine, quo-*

niam etc. ; per additum *Alleluja* enim habetur discontinuatio Antiphonam inter et principium Psalmi, etiamsi verba utriusque sint eadem.

B) In Officio semiduplici, in quo Antiphona ante Psalmum inchoatur tantum, quando Antiphona incipit a primo versu Psalmi, tunc Psalmus incipitur ab eo verbo in quo desinit Antiphona inchoata ; si tamen eadem sint verba, et continuetur Antiphona cum Psalmo. (Rubrica specialis, ad 3 Antiphonam 2 Nocturni Dominicæ in Psalterio.)

Exempla : Ad tertium Psalmum secundi Nocturni, in utroque Communi Confessoris Pontificis et Confessoris non Pontificis, dicuntur in Officio semiduplici Antiphonæ inchoatæ verba : *Domine Dominus noster* ; Psalmus VIII incipit iisdem verbis ; etiamsi Antiphona integra non eadem omnino sit quam primus Psalmi versus, quia tamen verba Antiphonæ in ritu semiduplici dicenda eadem sunt quam principium Psalmi, omittitur hoc Psalmi principium, et Psalmus incipit tantum a quarto verbo : *quam admirabile est etc.*

Infra Octavam Epiphaniæ, Officium est semiduplex ; ad primum Psalmum primi Nocturni dicuntur Antiphonæ verba : *Afferte Domino*, et principium Psalmi erit : *filii Dei : afferte Domino etc.*

Infra Octavam Ascensionis, ad secundam Antiphonam in secundo Nocturno dicuntur Antiphonæ verba : *Exaltabo te*, et quia non habetur sicut in ipso Festo et in die Octava discontinuatio per additum *Alleluja*, continuatur quod sequitur in primo versu Psalmi : *quoniam suscepisti me etc.*

In Officio de Dominica, pro tertia Antiphona secundi Nocturni dicuntur verba : *Diligam te* ; non repetuntur hæc in sequenti Psalmo, qui incipitur ab eo verbo in quo desinit Antiphona, scilicet : *Domine fortitudo mea, etc.*

Plura exempla dantur in Psalterio, in Officio Feriali.

NOTA. Quoad supradicta exempla continuationis Psalmi cum Antiphona inchoata in ritu semiduplici omnes conveniunt ; non ita vero in duobus sequentibus casibus qui aliquando occurrunt.

In Communi Confessoris Pontificis et non Pontificis ante primum Psalmum primi Nocturni ponitur Antiphona : *Beatus vir qui in lege Domini meditatur etc.* ; Psalmi versus primus vero sonat : *Beatus vir, qui non abiit etc.* ; — in eodem Communi ante primum Psalmum tertii Nocturni ponitur Antiphona : *Domine, iste sanctus habitabit etc.* ; Psalmi versus primus vero sonat :

Domine quis habitabit etc. ; in Officio semiduplici istæ duæ Antiphonæ inchoantur : *Beatus vir, Domine* ; sed quia istæ Antiphonæ integræ non perfecte, seu integre desumuntur a respectivo Psalmorum initio, sentiunt quidam in his duobus casibus post verba Antiphonarum resumenda esse principia Psalmorum, ita ut dicendum sit : *Beatus vir. Beatus vir, qui non abiit etc.* ; *Domine. Domine quis habitabit etc.* (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 176.) Alii vero latiori sensu Rubricam interpretantes, dicunt in his et similibus casibus non esse iterandum Psalmi initium, quin ulla fiat distinctio utrum vel non perfecte et integre Antiphona integra desumatur a Psalmi initio ; et unicuique libertatem relinquunt, usque dum competens auctoritas rem definiat. (Ibidem, pag. 236.)

Q. 202. *Accidit ut Antiphona, vel Versus Officii cuius fit Commemoratio, sint eadem cum illis quæ recitata fuerunt in Officio quod integrum dicitur, aut in præcedenti Commemoratione ; quid in tali casu faciendum est ?*

R. In memoriam revocatur quod Commemoratio regulariter fit, — in Laudibus per Antiphonam assignatam ad Canticum *Benedictus*, et per Versum qui reperitur post Hymnum ; — in Vesperis vero per Antiphonam assignatam ad Canticum *Magnificat*, et Versum qui reperitur post Hymnum, sive e primis, sive e secundis Vesperis, pro casuum diversitate. (Q. 162.)

Principium in Rubricis est quod in eodem Officio, vel potius in eadem Hora Officii bis eadem non dicantur.

Itaque mutari debent in Commemoratione quæcumque sunt eadem quam quæ in eadem Hora dicta jam fuerunt, et hæc tantum : unde si Antiphonæ sunt eadem, Versus autem diversi, sola mutabitur Antiphona ; si Antiphonæ sunt diversæ, Versus autem iidem, solus mutabitur Versus.

NOTA. 1° In Communi Confessoris Pontificis, ad *Benedictus* in Laudibus Antiphona est : *Euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constitutam, dicit Dominus* ; in Communi Confessoris non Pontificis, item ad *Benedictus*, Antiphona est : *Euge serve bone, etc.*, ut in Communi Confessoris Pontificis,